DE

VSV PARTICVLARVM EXCLAMATIVARVM

APVD PRISCOS SCRIPTORES LATINOS

DISSERTATIO

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORVM ARGENTORATENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PAVLVS RICHTER

POMERANVS

ARGENTORATI

MDCCCLXXIIII

Particularum exclamatiuarum uel interiectionum usus quam late patuerit in priscis fabulis Romanis, quicumque unam fabulam Plautinam Terentianamue obiter perlegerit, facile cognoscet. Quae particulae cum uiuae et alacri poetarum comicorum orationi praecipue conuenirent, a scriptoribus optimae aetatis artioribus finibus circumscriptae sunt. Neque igitur mirum, quod qui hoc tempore optimae potissimum linguae latinae aetatis ratione habita grammaticam profitebantur artem uel interpretatoris editorisue fungebantur munere, hoc infimum orationis genus fere omnes aut plane neglexerunt aut obiter tetigerunt[1], quamuis ad poetarum priscorum contextum emendandum accuratiore appareat opus esse perquisitione.

Plura de singulis particulis exclamatiuis obseruarunt grammatici ueteres latini, nec tamen certam in toto hoc genere describendo rationem secuti sunt. Propter uetustatem autem horum testium et eorum quae recte et eorum quae falso passim ab eis prolata sunt rationem habebo. Veterum grammaticorum sectatus uestigia Iulius Caesar Scaliger in libro de causis linguae latinae decimo de interiectionibus egit ('interiectionis natura et ratio' cp. 162, 'uoces quaedam ab interiectionis natura excluduntur' cp. 163, 'caussa efficiens et materialis, et affectus ab his et ab essentia' cp. 164), in quibus ea quae de singulis particularum notionibus obseruauit uir doctissimus pluris fecerim quam quae de uniuerso genere disputauit.

Primus accuratius de eo egit Handius in Tursellino, de quo

1) Cuius rei exemplo est liber qui inscribitur 'Lexicon lateinischer Wortformen' a Gustauo Koffmane (Gottingae 1874) editus, in quo solae respiciuntur interiectiones *o* (quod qua utatur prosodia apud poetas Augusto aequales breuissime, ut solet, auctor adnotat) et *hercle*, cum difficillimae de *ah* et *aha*, de *attat* et *attatae*, de *babae* et *papae*, de *em* et *hem*, de *heu* et *eheu*, de *o* et *oh* interiectionibus discernendis extent quaestiones.

tamen recte nuper iudicauit Otto Ribbeck (Beitraege zur Lehre von den lateinischen Partikeln pg. 1). Tantum enim abest ut Handius, qui non solum de priscis sed omnino de latinis particulis agere constituit, cuiusque interiectionis tamquam historiam persequatur, ut exemplis ex Plauto Terentio ceteris priscis sumptis passim immisceat Ciceroniana Horatiana Vergiliana. Deinde in locis enumerandis distribuendisque cum nihil fere respiceret Handius nisi sensum notionemque interiectionum uel animi affectus interiectionibus expressos, structuram grammaticalem nimium neglexit; accedit quod nonnullarum interiectionum uis recognosci nequit nisi numerorum obseruatione diligentissima. Tertium Handius deprauato illo contextu utebatur, quem nondum accurate collatis libris scriptis Ambrosiano et Palatinis praebebat editio uulgata Plautina, neque igitur coniecturis ea ubique assequi potuit, quae nunc ex ipsis libris denuo collatis facile percipiuntur, quaeque ne mihi quidem omnia praesto fuissent, nisi codicum lectiones a se ipso enotatas comiter mecum communicasset Studemundus: ac ne ad Terentium quidem corrigendum ea, quibus nunc utimur quaeque maxime Vmpfenbachio debentur subsidia Handio patebant. Itaque ea, quae ab Handio recte inuenta sunt, libenter laudabo, quae parum recte, silentio fere praetermittam.

Iam postquam poetae prisci ad optimorum librorum fidem restitui coepti sunt, ad uersus mutilos explendos non paucis uiris doctis uix ullum uocabulorum genus aptius commodiusque uidebatur quam ipsae interiectiones, neque num certis regulis interiectionum usus temperandus esset, quaesiuerunt. Itaque sicubi metro uidetur deesse syllaba, etiamnunc editores de inserenda praeter libros particula aliqua exclamatiua cogitare solent.

Caute tamen prudenterque *em* particulam demonstratiuam ex obliuione uindicauit eiusque usum descripsit Iulius Brix (emendationes in Plauti Captiuos pg. 17—22), cui nonnulla addidit Otto Ribbeck in libro supra laudato pg. 29—36[2]: sed haec ad unam pertinent interiectionem. Generaliter *de interiectionum*

---

2) De his agendum erit, ubi de *em* particula dicemus.

usu Plautino Terentianoque (spec. prim.) scripsit Fridericus Hirth in dissertatione Rostochiensi a. MDCCCLXIX [3]), qui tamen id unum egit, ut interiectiones extra uersum positas [4]), quantum fieri posset, Plauto abiudicaret, — idque plerumque recte: neque igitur Hirthium praetermittam, sicubi metricae de interiectione aliqua obseruationes faciendae erunt: ac ne breuem quidem, quam *de uae interiectionis usu Plautino Terentianoque* addidit commentationem suo loco neglegam. Itaque cum praeter haec de interiectionibus latinis fusius actum non sit, qua uia et ratione harum uocularum usus describendus esset, mihi ipsi quaerendum fuit.

Quodsi interrogaueris, intra quos fines uersari constituerim, ne cui multas particulas quae uulgo interiectiones appellentur temere neglexisse uidear: agetur in eis quae secuntur de duplici genere particularum exclamatiuarum:

1) de sonis naturalibus latinis, quorum ueriloquium ex nulla linguae latinae stirpe deriuari posse uidebatur, uelut *ah eho ei hem hui o oh st,*
2) de particulis graecis in linguam latinam translatis [5]), uelut *attatae eugae papae:*

ad quas accedunt *pro,* de cuius origine nihil constat, et *em* particula demonstratiua, quae in interiectionum numero uix tractanda esse uideretur [6]), nisi in libris scriptis saepissime, in editionibus ueterioribus ubique confunderetur cum *hem* particula exclamatiua: adde quod de *em* uoculae origine haud spernendae

---

3) de quo libello cf. A. Fr. O. Lorenz 'Philolog. Anzeiger' II (1870) pg. 291 sqq.

4) Has Hirthius Hermannum secutus epiphonemata uocat, quam appellationem ne ego quidem adoptare dubitarem, nisi a quibusdam ueteribus ἐπιφωνημάτων nomine appellatae essent omnes interiectiones, non tantum eae quae extra uersum positae sunt.

5) In A. Saalfeldii 'indice graecorum uocabulorum in linguam latinam translatorum' (Berolini 1874) desiderantur hae interiectiones (*attat*) *attatae babae euax heia* (*ohe*) *tatae.*

6) Eodem enim iure de *ecce* et *eccere* uocabulis agendum esset,

opinationes proferri possunt. Exclusi igitur ex hac dissertatione

1) particulas affirmatiuas α) ad deorum nomina referendas, uelut *pol edepol hercle mehercle ecastor mecastor*, β) cum pronominibus coniunctam *ne*,

2) formas uerbales in interiectionis usum receptas, ut *perii disperii interii occidi (nullus sum, sepultus sum) obsecro quaeso amabo age agite* similes, ad quas accedit *apage* a Graecis translata,

3) *malum*, quam formam ego accusatiuum[7]), non uocatiuum esse existimo: *malum* idem fere significat quod nos dicimus *zum Henker*.

Singularum autem interiectionum usum definituro de his potissimum agendum est:

1) de structura grammaticali: utrum absolute poni possit interiectio, i. e. nullo accedente uocabulo, ueluti *ah eheu heia hem oh uah*, an additamento aliquo opus sit, ueluti *eho heus o uae*, qualiaque sint ea additamenta;

2) de notione uel de animi affectibus interiectione expressis[8]);

3) de prosodia interiectionum et de collocatione metrica (cf. etiam p. 391 adnot.[4]);

4) usus interiectionis quomodo a poetis distributus sit inter uiros et mulieres;

5) enumerantur et diiudicantur loci ei permulti, quibus interiectiones uel male traditas uel falso incertiusue a criticae artis peritis contextui priscorum scriptorum uindicatas esse existimem.

Ac ne ea quidem praetermittam, quae uel de ueriloquio uel de particulis quibusdam inter se comparatis adnotanda esse uidebantur.

---

7) duce Brixio, cui ad Men. II 2, 63 [338] in *mirum ni -quin -si* etc. accusatiui inesse uidentur. — Vsum *malum* uocabuli recte descripsit censor anonymus in 'Philolog. Anzeiger' II (1870) pg. 446.

8) Exemplis in hoc capite prolatis adnectam adnotationes criticas.

AH et AHA

I. Duplex potissimum scripturae discrepantia pro *ah* interiectione in libris Plautinis Terentianisque occurrit: *aha* et *ha*. Quarum *ha* non pluris aestimandam esse quam formam deprauatam infra uidebimus, *aha* contra contextui Plautino Terentianoque uindicandam locis nonnullis. 'Quaeritur, cur in *uah, ah* post uocales ponitur aspiratio, et dicimus, quod apocopa facta est extremae uocalis, cui praeponebatur aspiratio: nam perfecta *uaha aha* sunt' Priscian. inst. II pg. 19, 26—20, 2K; idem pg. 48, 22—25 'In *h*, quae est nota aspirationis, non potest terminari syllaba: inuenio tamen in *uah* et *ah* interiectionibus terminalem uideri syllabae *h*, sed magis puto, ut superius dictum est, per apocopam hoc solere fieri, cum perfecta *uaha* et *aha* sint.'

A. *Aha* libris commendatur Plautinis locis his:

a) quibus sine dubio seruandum est:

Bacch. 810 CH. *Aha*[1a]), Bélleropóntem túus me fécit fíliús.	*aha* BCD
Poen. I 2, 106 [312] .... áram. AD. *Aha,* nón factóst opús.	*aha* A, *ah* BD
Poen. I 2, 122 [328] .... óbsecro. AG. *Áha,* tam saéuitér?	*aha* A, *Ah* BD
Trin. 649 .... tégere erráta? *aha,* nón itást.	*aha* A, *ah* cett.
Trin. 1060 .... nólo? CH. *Aha*[1b], nímium, Stásime, saéuitér.	*aha* A, *ha* cett.

1a) recte interpretatur Handius Turs. I pg. 218 '*si recte legitur* (scil. *Aha*), *Chrysalus ita loquitur, dum a seruo, qui ad eum uinciendum accessit, refugit*: *quod etiam uerbo* sine *exprimitur*': quibus recte explicatis nescio quamobrem addiderit uir doctus '*tamen scribendum uidetur* ah'. — In libris interiectio uersui 809 metro inuito continuatur, ab editoribus recte (*Ah* cum Hermanno Ritschelius et Fleckeisenus, *Aha* seruauit Bothius) huic uersui praefigitur.

1b) neque enim hic offendit dactylus quarti pedis, cf. e. g. Trin. 316. 715, Bacch. 722, quae exempla debeo Ritschelio Prolegg. ad Trin. pg. CCLXXVI sq.

Truc. IV 4, 36 Ita sunt glóriaé meretrícum.	
AST. *Áha*[2]), tacé. PHR. Quid est, óbsecró?	*aha* BCD
b) quibus *aha* metro repugnat:	
Bacch. 87 Mánum da et séquere. PIST. *aha*	
mínume. BA. Quid ita ...	*aha* BCD
Rud. 420[3]) Séd quid aís, meá lepida, hílara?	*ah animū* B,
AM. *Aha*, nímium fámiliáritér | Me áttrectás	*ah nimium* D

utroque enim loco offendit proceleusmaticus in altera uel quarta septenarii trochaici sede positus: nam, etsi locis sub a) enumeratis de *aha* et bisyllabo et monosyllabo cogitare licet, ex eis, quae de omnium interiectionum, in quibus duae uocales *h* littera dirimuntur (*ehem eheu eho ohe*), prosodia sub 'EHO' V statuimus, *aha* bisyllabum fuisse apparet; itaque cum *ah* monosyllabum eandem renuendi notionem saepius obtineat quam locis supra collectis *aha*, uelut Amph. 520 *Ah noli*, 935 *Ah, propitius sit potius*, Bacch. 73 *Ah, nimium ferus es*, Truc. I 2, 92 *Ah, obsecro, tace, Diniarche*, his duobus locis non *aha*, sed metri gratia *ah* scribendum esse censeo.

c) Accedit uersus admodum dubius Cas. III 6, 6 (605), quem Geppertus sic edidit: 'ST. Lepide éxcurátus incéssistí, ⟨mi amíce⟩. OL. Aha hódie ⟨frústra es⟩',
pro quo in B haec extant: *S. Lepide excuratus incessisti. OL. Aha hodie*, in Ambrosiano haec: LEPIDEEXCURATUSINCESSISTI‡ AKAKODIE (?) et deinde post spatium duodecim fere usque ad quattuordecim litterarum LUS litterae in uersu extremo, quarum tamen et paenultima et tertia ab exitu incertissimae sunt; possis pro U eodem iure aut de A aut de O aut de E aut de I cogitare. Apparet, cum et praecedant anapaesti et sequantur, tetrametrum anapaesticum aliquo modo esse redintegrandum. Neque igitur improbabiliter post *incessisti* hiatus post pedem quartum absolutum in tetrametri diaeresi ita statuendus esse uidebitur, ut *ăhăhŏdĭ* syllabis proceleusmaticus efficiatur, qui quinti

2) *ah* Geppertus, *uah* Kiesslingius Annal. philol. uol. 97 (1868) pg. 641. Sed hic locus uix discrepat a ceterorum natura.

3) *Sed quid ais, mea lepida, hilara? ah animū familiariter Me at trectas* B, in quibus non debebat Fleckeisenus inuertere *hilara lepida*.

anapaesti uicibus fungatur. Id saltem constat *mi amice* non recte post *incessisti* a Gepperto insertum esse. Ceterum non inepte sic poterat loqui Olympio: *Ah áh, odió's* ◡◡– ◡◡–. Nolim tamen in re incerta leuiter hariolari. De *ah* duplicato cf. infra pg. 399 de Pers. 316.

Quorum uersuum omnium numeris cum *ah* monosyllabum sufficiat, ideo tamen *aha* in contextu seruauerim, quia non uerisimile uidetur, locis quattuor in codicem Ambrosianum, qui in rebus orthographicis locuples testis sit, *aha* mero lapsu calami irrepsisse, cum praesertim *uaha* pro *uah* in eodem codice nusquam appareat et *uah* interiectio non admodum rara sit.

Rectissime Handius Turs. I pg. 218 docet '*Aha*, quod in paucis Plauti locis legitur, proprium id habere uidetur, ut ab eo usurpetur, qui renuat aut aliquid a se remoueat': a qua notione locorum omnium nullus — ac ne Bacch. 810 quidem, cf. not. 1 — recedit: nam *aha tam saeuiter?* (Poen. 328) et *Aha nimium, Stasime, saeuiter* (Trin. 1060) idem ualent quod *noli saeuire*.

Quin etiam bis, nisi egregie fallor, *aha* ex coniectura scribendum est: Capt. 148 ER. Ego álienus? aliénus ille? ah, Hégio, | Numquam ístuc dixis néque animum induxís tuúm:

Alienus ego? alienus illi? *hah egio* Ba (*ha hegio* Bb) cum spatio quinque litterarum, *PAR. ha hegio* D. Mihi *ha* potius ad *aha* quam ad *ah* (sic editores, *ha* uulgo) referendum esse uidetur, nam cum *aha* optime coniunguntur quae secuntur post *Hegio*. Hunc igitur uersum sic scribo

ER. Aliénus égo? aliénus ílli? aha, Hégió.

Alienus ego, a Fleckeiseno inuersa, recte recepit Brixius.

Trin. 681 Meám sorórem tíbi dem suádes síne dote: áha, non cónuenít. *aha* recte Hauptius, *ha a* B, *hac* CD (e quo *hoc* FZ): nam et propius ad libros accedit *aha* quam *ah* et repudiatur propositio.

B. In libris Terentianis *aha* fere saepius legitur quam in Plautinis, sed uno loco excepto uix recte.

1) In Bembino legitur unico loco Eun. 797, ubi, si quis *aha*

seruaturus sit, statuat *Áha quid ă–* proceleusmaticum trochaicum in pede sexto uix tolerabilem (cf. p. 394) oporteat.

2) In codd. D et G *aha* saepius scriptum est: in D et G Andr. 325. Ad. 274. 342, in D solo Andr. 252. 628. 649. 972. Ad. 132, in G solo Andr. 872. Locis tribus *aha* metro non conuenit; nam Andr. 252. 628. 872 *ah* ultimam efficit thesin, quae in duas syllabas breues *ăhă* dissolui nequit, atque Andr. 649 *Hábeam? aha* (proceleusmaticum in pede altero) et Ad. 342 *–tost ópus.* | SO. *Aha, mínu|me* mensuram ferre nequeo, cf. p. 394. Deinde Andr. 972 (*aha* DV, *ah* ceteri cum A, deest F), Ad. 132 (*aha* BDV, *a* AP, *a*[h]F, [ah]*a* C corr. C[2], *ah* E, *ha* G). 274 (*ah* AEF, *aha* cett.) librorum auctoritas suadet ut *ah* praeferamus, etsi metro *aha* non repugnat. Restat locus unicus Andr. 325, quo reuera *aha* scribendum esse uidetur:

'Númquidnam ámpliús tibi cum ílla fúit, Charíne? CH. Aha, Pámphilé, Níhil', ubi deest A (cum F), sed *aha* in omnibus ceteris libris est.

3) in ceteris Calliopianis rarius extat *aha*: Andr. 252 in BCP, 325 in BCEP, 972 in V, Ad. 132 in BC2V, 274 in BCP, de quibus locis uide 2.

C. apud ceteros scaenicos *aha* forma nusquam tradita est.

D. *Aha* igitur statuendum esse censuimus locis nouem Plautinis: Bacch. 810. Capt. 148. Cas. III 6, 6 [605]. Poen. I 2, 106 [312]. 122 [328]. Trin. 649. 681. 1060. Truc. IV 4, 36 et uno Terentiano Andr. 325.

II. Multo usitatior est forma monosyllaba *ah*, pro qua in libris saepius scriptum est *ha*, quod nemo, et *a*, quod complures editorum recentiorum in contextum poetarum (uelut Wagnerus in Terentium) recipiendum esse sibi persuaserunt.

A. Primum uideamus de *a*: quae scriptura in libris occurrit locis his:

a) apud Plautum Amph. 935 *Apropitius* D, *Apropicius* B, utrumque pro *Ah, propitius*; Aul. IV 4, 24 [643] *a* B, *A* D, *an* Jγ; Most. 947 in *nimium adelicatus* Muellero latere uisum est *ah nimium delicatu's*, sed uide infra **VI.** — Locis duobus (de

quibus postea agetur) Poen. V 2, 115 [1063] (cf. not. 26) et Rud. 1143 (cf. not. 22) (cf. praeterea Cas. III 5, 10 [528] sub **VI**), quibus pro *ah, perii* in libris (sed ubique deest A) scriptum est *aperi*, de aperiendi uerbo, non de *ah, perii* cogitasse librarios sententiarum nexus innuit: his igitur locis *a* scriptura uix commendatur.

b) apud Terentium Ad. 127 *a* A, *ah* cett., nisi quod *ha* V; 132 *a* AP, *a*[h] F, [ah]*a* C corr. C^2, *ah* E, *aha* BDV, *ha* G; 269 *a* C^1P, *ha* D, *ah* ceteri cum A.

c) in fragmento Afranii Ribb. Com. pg. 198 u. 264 (testibus libris Nonianis).

Minor uidetur horum exemplorum numerus, quam quo freti *a* scripturam poetis priscis tribuamus. Sane *ah* scribi uoluerunt qui eorum recognitiones olim curauerunt.

B. Idem statuendum est de *ha* scriptura: quae in libris extat

a) Plautinis Epid. IV 1, 27 [540] A, (*ah* ceteri); Merc. 155 B (*ah* D, *Ach* C); Trin. 681 *ha a* B (*hac* CD) pro *aha*, ut uidetur, cf. pg. 395; 1060 BCD, *aha* A; Truc. II 4, 15 *ha aspersisti* A (*ab has persisti* CD, *abiab persisti* B) pro *ah aspersisti*.

b) Terentianis Andr. 649 C (*aha* D, *ah* cett., sed desunt AF); 868 BCDP (*ah* GE, desunt AF); 872 BCD (*ah* EP, *aha* G, desunt AF); Eun. 208 DG (*ah* cett.); 1009 (B)D (*ah* cett.); Phorm. 193 DG (*ah* A, om. cett.); 503 D (de A uide not. 23; *ah* cett.); 541 DGE (*ah* cett.); 809 D (*ah* cett.); Ad. 127 V (*a* A, *ah* cett.); 132 G (ceteri uaria, uide pg. 396); 269 D (*a* C^1 P, *ah* cett.).

c) in fragmentis nusquam.

Ha igitur ex *ah* uel *aha* deprauatum uidetur esse. Ceterum cf. Hand. Turs. III pg. 1 et I pg. 213.

C. Aliae scripturae deprauatae uelut *At* Pers. 622 (BCD), *Ahc* Asin. 38 (BD), *Ach* Merc. 155 (C) (itidem pro *uah* scripta extant *uahc* et *uach*, cf. sub 'VAH' I), a quibus non longe abest *hac* Trin. 681 (CD), nullius momenti sunt.

III. Iam absolutis minutiis orthographicis agamus de *ah* particulae structura grammaticali.

A. *Ah* praecedit enuntiatis 1) imperatiuis, e. g. Rud. 681 *Ah desine;* item Amph. 520. Most. 577. 810. Pers. 316 (*ah ah*). Truc. I 2, 92 (*Ah óbsecró, tace*). Ter. Andr. 543. 868. 872. 972. Heaut. 403. Hec. 109. 697. Ad. 112. Accius Ribb. Tr. pg. 160 u. 191 (cf. not. 9). 2) interrogatiuis apud Terentium solum, e. g. Phorm. 216 *GE. Ah quid agis? quó abis, Ántiphó?* praeterea Andr. 628. Eun. 797. Heaut. 94 [4a]). Phorm. 193. 503. 3) optatiuis Merc. 323 *ah né di síuerint;* Pers. 622 [4b]) *Ah di ístam pérdant;* Amph. 935 *Ah, própitiús sit pótius.* — Locis ceteris secuntur enuntiata pronuntiatiua et exclamatiua, e. g. Truc. II 4, 15 *Ah, áspersísti aquám,* ad quos accedunt hae locutiones: *Ah périi* Poen. V 2, 115 [1063] (cf. not. 26). Rud. 1143 (cf. not. 22), et *Ah mínume* Bacch. 87. Ter. Ad. 597, et *ah mínume géntiúm* Ter. Ad. 342. Denique locis duobus Terentianis secuntur enuntiata infinitiui forma exclamata: Andr. 252 *Áh,* | *Tantámne rém tam néglegénter ágere!*; Eun. 208 *Áh,* | *Rogitáre quási difficile sít!*

B. Locis duobus Terentianis *ah* praecedit accusatiuis: Ad. 309 *Áh* | *Me míserum, uíx sum cómpos ánimi* . . . 329 *Áh* | *Me míseram. quíd iam* . . .

C. Ante uocatiuos *ah* bis positum est: Ter. Ad. 132 . . . *dedísti. DE. Ah, Mició. MI. Mihi sic uidétur* (Ad *Ah, Micio* supple *noli* cf. Amph. 520, uel *desine* cf. Rud. 681), et Afran. Ribb.

4a) *Habeo. áh quid díxi? habére me?* . . sed praestat fortasse *áh quid díxi!* — Cf. praeterea Th. Bergk, Annal. philolog. uol. 101 (1870) pg. 823.

4b) Pers. 622 *DORD. Nóli flere. TOX. Ah di ístam perdant: íta catast et cállida.* Talem enim hunc septenarium in ipso A recte extare monuit Studemundus in scholis; similiterque in editione Lambiniana legitur *TO. Noli flere VI. ah. TO. dii istam* etc.; libri Palatini initio uersus mutili omnia ante *di istam* omittunt. Ritschelius cum quid A inter *FLERE* et *ISTAM* praeberet non satis perspexisset, haec minus recte edidit: *DO. Noli flere. TO. At di istam perdant etc.* Pro *At di istam* legem suam, qua, ubi in talibus execrandi formulis praecedant particulae, ut *at qui ita* etc., pronomen hanc particulam statim sequi soleat, secutus Petrus Langen Mus. Rhen. XII pg. 432 scribi iubet *At istam di*, idque recte, si de *at* particula hic ageretur.

Com. pg. 198 u. 264 *Ah fúlica, puéne pérdidísti: dí te máctassint maló.*

IV. *Ah* particula exprimuntur hi animi affectus:

A. *ah* interiectio improbantis est:

1) alicui aliquid opprobrantis itaque eum monentis: Amph. 520. Aul. IV 4, 24 [643]. Bacch. 73. 707. Merc. 155 (cf. pg. 403). 431[5]. Most. 577[6]. 810. Pers. 48. 316[7] (*ah ah*). Rud. 681; Ter. Andr. 306. 543. 868. 872. Eun. 208. 797. Heaut. 91. 439. Phorm. 216. 541. 809. Hec. 109. 697. Ad. 132. 723[8]; Accius Ribb. Tr. pg. 160 u. 191 Ah[9] uíde tu, quíd agas: cáue ne in túrbam te ínplicés.

2) dictum uel dicta alicuius refutantis negantis corrigentis est Amph. 935. Asin. 38. Bacch. 87. Merc. 323[10]. Truc. I 2, 92. Ter. Andr. 325. 649. 972. Eun. 381[11]. 758[12]. Phorm.

---

5) . . . *DE. Ah néscis quíd dictúrus sím: tacé* (*sim* cum F Eduardus Becker supra pg. 219) *ah* BC, pro quo rasuram Da, sup. scr. *hac* Db, *at* FZ ('fort. rectius' Ritschelius, quod qua ratione ductus censuerit, nescio).

6) DA. Ego hércle uéro clámo. TR. Ah, gére morém mihí.

CLAMA?boak‡GERE Ambrosianus teste Studemundo.

7) TOX. Inspícere mórbum túum lubét. SAG. Ah, áh, abi átque cáue sis. AKAKABI A, *ahbi* B, *abi* rell., *SAG. Ahá,* | *abi át|que* Ritschelius, sed minus probabilis est hiatus post *aha* particulae syllabam alteram productam. Ego cum Muellero pros. Pl. pg. 715 *ah* duplicatum tueor, quod magis placet quam *Aha,* ⟨*á me*⟩ *abi* uel *Aha* ⟨*hínc*⟩ *abi* ab eodem uiro docto proposita, etsi *aha* ad sententiarum nexum haud male quadrat. — Cf. praeterea quae supra pg. 394 statui de Cas. III 6, 6 [605].

8) Capitália. CH. Óhe iam. DE. Néscis quí uir sít. *Nescis* A, *ah nescis* libri ceteri omnes: per metrum *ah* liceat abesse, sed primum non patet quomodo in libros Calliopianos *ah* irrepere potuerit, deinde Micionis ludibriis (*Écce autém* u. 722, *óhe iam* u. 723) incenso Demeae interiectio hic non male conuenit. *Ah* igitur seruandum esse censeo.

9) Versum uix persanatum dedi cum Beckero supra pg. 228.

10) *ah ne di síuerint* Camerarius, *athene desiuerint* BD, *athene dessiuerint* C: nescit Ritschelius an praestet *at* pro *ah*: sed cum *ah* interiectio sensum iuuet et ex *athe* eodem modo elici possit *ah* atque *at*, illud recipiendum esse censeo.

11) is qui in G erasit *C ah PAR,* Parmenoni '*At enim istaec . . . flagitium facimus*' nulla Chaereae exclamatione interrupta dare uidetur uoluisse: non male, sed contra omnium librorum fidem.

12) *Ah* AD, *Au* ceteri, uide pg. 417.

193[13]. 325[28]. Hec. 630[14]. 721. 853. Ad. 112. 127. 274. 342. 597.

3) se ipsum corrigentis est Cas. II 6, 14 [262]; Ter. Heaut. 94[15]) Habeo. áh quid díxi? habére me? ímmo habuí, Chremés.

B. aegre aliquid ferentis est

1) irati indignantisque Ter. Andr. 252. 469[14]. Ad. 309, et, nisi fallor, Afran. Ribb. Com. pg. 198 u. 264 Ah[16], fúlica, paéne pérdidísti: dí te máctassínt maló.

2) querentis est Ter. Andr. 628. Eun. 889[17]. Heaut. 934. 938. Phorm. 474: accedit Truc. II 6, 44[18], ubi dolorem corporis mulier simulat, et Pseud. 1249: 'Pérgitin pérgere? ah, saéuiundúm[19] mihist'[20].

3) perterriti et metuentis Cas. III 5, 28 [549][21] (ficto adfectu).

---

13) *ah*, quod exhibet A, omissum est in BCEFP: *ha* D, *Ha* G: librorum igitur optimorum fidem secuti interiectionem seruare debemus: accedit quod *Ah*, | *Sánus es?* magis placent quam *Sánus es?* nude ac sine ullo additamento exclamata: addi enim solet uel *satin* (cf. Andr. 749. Phorm. 802) uel, ut hic, interiectio (Ad. 336), uel omnino aliter interrogatur (Ad. 748 *Sanúm te crédis ésse?*)

14) Ter. Andr. 469 et Hec. 630 *ah* om. D1, addidit D2.

t ha o
15) KABEOACQUOD A, *at* effecit corr. rec.: *at qđ* C, *ut quid* E, *ha* corr. rec.: *quod* E2, *ah quod* P, *at quid* (B)F (*ah quid* D, 'ni fallor' Vmpf.). Recte et Chremetis animi motioni conuenienter *ah* ab editoribus seruatum est.

16) *a* libri Noniani, *a(h)* Ribbeckius.

17) *TH. Tamen sí patér . . . . CH. Quid? áh uolét, certó sció* | *Ciuís modo haéc sit*, sic ed. Vmpf.; QUIDAK A (punctis rubris), reliqui uaria, sed omnes *Quid* Chaereae dant: ego cum Bentleio et Fleckeiseno scribendum esse existimo *sí patér quid . . CH. áh uolét.*

18) STR. Hábe bonum ánimum. PH. Suáuiúm sis hínc pete. áh, nequeó capút Tóllere. *ah* restituit Bothius, *ab* BCD: deinde *suauium Sis pete hinc* BCD (nisi quod *sauium* et *sis* B, *Sispete* C, quae metro repugnant). Pro *Suáuiúm sis hínc pete* Spengelius melius poterat conlocare *Suáuiúm pete hínc sis*, cum praesertim *sis* soleat p o s t imperatiuum collocari. Fortasse sermo inter colloquentes aliter distribuendus est.

19) *seuiendum* BCD, *seruiundum* cum Hermanno Ritschelius, alii alia, cf. Ritschelii app. crit. In A uersus pars media non integra est.

20) quibus uerbis Pseudolus ebrius lepide queritur de pedibus uino captatis.

21) Metra horum uersuum et Gepperto et mihi rectius uidetur consti-

Rud. 1143[22]. Ter. Phorm. 503[23]. Ad. 329.

4) leuiorem significat stuporem Ter. Hec. 743.

C. *Ah* interiectio laetantis est Curc. 127[24]. Epid. IV 1, 27 [540][25]. Pers. 622[4b]. Poen. V 2, 115 [1063][26] (?). Truc. II 4, 15[25]. Ter. Heaut. 397[27]. 403. Ad. 269.

---

fuisse Fleckeisenus (krit. Misc.) quam O. Seyffert (Philol. XXVII pg. 448), qui hunc uersum effecit: *Quid érgo? PARD. Ah. ST. Quid ĕst? PARD. Intérimere ūit uélle uítam*, ex quaternario et penthemimere iambico compositum. In A *ah* interiectio in medio uersu est, qui cum a *Quid ergo* incipiat, desinit in *uitam;* in B itidem in medio uersu, qui cum a *Minatur* incipiat, desinit in *Quid est.*

22) *GR. Hoc habet: solutum est aperi* *Video cistellam haecine st* B (cum spatio nouem litterarum ad personae notam capessendam relicto, teste Studemundo) et illud ipsum *aperi* D quoque praebet. Fleckeisenus edidit:

'GR. Hóc habet: est solútum. ah perii: uídeo cistellam. DAE. Haécinest?', cum *aperi* imperatiuum nulli in Gripi ore usui esse ac ne a sene quidem pronuntiatum *aperi* ferri posse intellexisset; nam *solutum est* et *aperi* inter se non congruunt. Dubium tamen est, num Daemonis nota personae duce B ante *Video* ponenda sit. Ceterum personarum distributio in hoc uersu uix certo constitui potest; fac enim *a* litteram in *aperi* uocabulo ex personae nota praue intellecta ortam esse: sic fere personas distribuere licebit: *GRIPVS Hóc habét: solútumst. TRACHALIO Périi! DAEMONES* (an *PALAESTRA?*) *Vídeo cistellam. DAEMONES Haécinest?* uel simili modo; neque enim hariolari libet in re nimis incerta.

23) Pro *AN. Ah quid* (sic Calliopiani, sed *ha quid* D) in A est: A.ʰQUID, interiectionem *ah* ex nota rubra A effecit corr. rec.; Bembini igitur manus prima interiectionem omisit.

24) laetatur enim Leaena uino, quod 'ingurgitat in se auariter faucibus plenis'. — Ceterum uide de hoc loco sub 'HAHAHAE' **I.**

25) Truc. II 4, 15 . . né abi. DA. Ah, áspersísti aquám. *ha aspersisti* A, *ab has persisti* CD, *abiab persisti* B; *ah aspersisti* dudum recte editum est. Locus simillimus est Epid. IV 1, 27 [540] *Ah, gúttulá Péctus árdens mihi áspersísti.*

26) *Osténde: inspiciam. Ah! périi! ⟨Víden? AG.⟩ At ⟨eccum⟩ adést.* Sic edidit Geppertus. *Aperi* BD, quod ineptum esse uidetur Muellero pros. Pl. pg. 485 et H. A. Kochio Annal. phil. uol. 107 (1873) pg. 243, uisumque est Grutero, qui *Ah perii* coniecit. Displicent in Geppertianis maxime *Víden? AG. At eccum adést* scripta pro *audi atque ades,* quae sunt in libris. De *a perii gaudio* non male cogitat Kochius. Fortasse ⟨*manum*⟩ ante *aperi* inserendum et *Atque* ⟨*eccum*⟩ scribendum est, quibus quidem coniecturis uersus ipse non restituitur.

27) *Ah* A, *uah* ceteri omnes, uide sub 'VAH' **VI.**

D. *Ah* irridentis est Ter. Eun. 1009 ah, | Non póssum sátis narráre, quós ludós praebúeris íntus.

V. Obseruationes metricae.

a) 'Omnes interiectiones longae sunt, si monosyllabae fuerint, ut heu' [Maxim. Victorin.] de finalibus VI pg. 239, 12 K. Reuera *ah* interiectio syllabam productam aequat, cf. e. g. Aul. IV 4, 24 [643] ... *STR. quid reddam? EV. áh, nugás agís,* Ter. Andr. 543 ... *fiant. CH. Áh ne me óbsecra,* etc. etc.

b) *Ah* interiectio posita est

1) in capite[28] uersuum Plaut. Amph. 935. Curc. 127, Ter. Ad. 597, Accius Ribb. Tr. pg. 160 u. 191, Afran. Ribb. Com. pg. 198 u. 264.

2) in exitu uersuum Asin. 38. Cas. III 5, 28 [549]. Merc. 155, et locis 21 Terentianis.

3) in mediis uersibus locis omnibus ceteris.

c) *Ah* interiectione in exitu uersus posita deuoratur ubique uocalis quae extat in fine uocabuli proxime praecedentis, excepto unico loco Ter. Eun. 1009: cum cuius elisionis loco simul mutatio personae coniuncta est exceptis duobus locis Ter. Andr. 252 et 628. Nec minus eadem elisio ante *ah* usitata est in mediis uersibus, exceptis locis duobus Plautinis Bacch. 707. Truc. II 6, 44 et quinque Terentianis Andr. 543. Eun. 758. Heaut. 403. Ad. 274. 342: hic quoque solet simul persona mutari.

d) *Ah* interiectio in ea iamborum sede collocata, quae ictu non percutitur (conf. Muellerus pros. Pl. pg. 723), hiatu excipitur locis Plautinis tribus his:

Pers. 48 ... *fidélem. SAG. Ah, ódio me énicás*
Truc. I 2, 92 *Peperísse audíui. AST. Ah, obsecró, tace*
II 4, 15 ... *né abi. DI. Ah, áspersísti aquám.*

Atque qui hiatum proscripturiunt cum possint de *aha* prioribus duobus locis restituendo cogitare, propter tertii exempli sententiam *aha* parum aptum uidetur esse.

---

28) ubi male positum est in A Ter. Phorm. 325, sed cum ceteris libris manu scriptis recte ab editoribus praecedenti uersui suffixum.

c) *Ah* nullo loco extra uersum ponendum est; neque igitur recte Merc. 155 Ritschelium hanc collocationem admisisse, cum in fine superioris collocandum sit cum ceteris, suo iure monet Hirthius pg. 9.

VI. Quibus locis *ah* falsum uel incertissimum sit[29]).

Aul. III 1, 6 [410] uide sub 'ATTAT' p. 411 not. 9.

Aul. V 20 [820] Versus quem Wagnerus sic edidit:

í, redde aurum. STR. réddam ego aurum? LIC. rédde, ut huic reddátur. STR. unde?

in codice D (teste Studemundo) in duas partes diuulsus est has: *Ire deaurū Reddam ego aurum? Redde inquam* | *Vt huic reddatur aunde* | In editionibus ueteribus scriptum inueni *ah, unde:* in B is qui rubrum adhibuit colorem *reddatur STR unde* ex *reddatur* * * *unde* effecit; uidetur igitur Ba personae notam omisisse et ipsum uerborum contextum duabus litteris auctum exhibuisse. Itaque nescio an *a* ex nota quadam personae ortum sit (cf. not. 22).

Cas. III 5, 10 [528] Geppertus scripsit 'Quid periísti? PARD. Perii et tú peristi? ST. Ah! périi! Quidnam id est?' Videntur tamen duo potius semiseptenarii anapaestici fuisse hi: *LYS. Qui périisti? PAR. Perii, ét tu* | *Periísti. LYS. Périi? Quid ita? a,* quod in Palatinis est ante *peri quid tibi,* nescio an ex personae nota (cf. not. 22 et quae modo de Aul. V 20 [820] diximus) ortum sit. Contra *aperi* recte loquitur Beckerus supra pg. 139 not. 2).

Cas. III 5, 38 [564] *ah* inseruit Fleckeisenus, uide sub 'ST' D.

Epid. III 2, 35 [362] *STR. Vorsútiór es, quám rotá figuláris. EPID. Iam égo parábo. Ah* pro *Iam* P solus, cuius tamen libri re-

---

29) Vmpfenbachius Donatum, cum ad Ter. Eun. 95 'Ne crúcia te óbsecro, ánime mí, mi Phaédriá' adnotaret '*sic dicit ne crucia te, in eo gestu, quasi in eo etiam ipsa cruciaretur; nam ideo subiecit* anime', legisse coniecit *a ni me,* ita ut Thais diceret *Ne crucia te, obsecro, ah, ne me;* sed — si recte intellego Vmpfenbachium — quae haec est iudicii peruersitas! nam Thais si Phaedriam appellat *animum suum*, id significat, suum ipsius animum simul cum Phaedriae excruciari, itaque rectissime Donatus '*ideo*, inquit, *subiecit anime*'.

centioris auctoritas minor uidetur esse, quam in qua perpendenda diutius moremur.

Men. 180 uide sub 'OH' not. 4.

[Merc. 133 uersum mutilum Ritschelius talem fere fuisse coniecit '⟨*CH. Non mé uides? AC. ah sálue, ere.*⟩ *CH. Quae té malae res íta agitant?*' qui debebat saltem *oh salue.*]

Merc. 903 uide sub 'EM' **VII.**

Most. 947 *Puer nimium adelicatus ei aduersum uenimus* BCD, *Puere nimium delicatum Ei aduorsum uenimus* A; 'TH. Púere, nimium délicatu's. PH. Éi aduorsum uénimus' Ritschelius et Lorenzius: ⟨*ah*⟩ *nimium* coniecturam Muellerianam Nachtr. pg. 137. 138, etsi *ah* in *adelicatus* latere sagaciter excogitatum est, ideo cum S. Buggio adoptare nolui, quia et *a* pro *ah* rarius in libris scribitur, et *a* cum *d* littera facile confunditur.

Poen. I 3, 21 [422] *ah* C, *oh* ABD, cf. sub 'VAH' not. 17.

Poen. V 2, 115 [1063] cf. not. 26.

Poen. V 4, 101 [1260] *azeuxis* pro *o Zeuxis* C, cf. sub 'O' not. 23.

Pseud. 1253 sq. Ritschelius hos tetrametros bacchiacos dimensus est: *Ita uíctu excuráto, ita múnditiis dignis,* | *Itá loco in festíuo sumus féstiue accépti.* | *ita munditiis digni ah* BCD, sed *magnis munditiis* CD. Noli cogitare de *ah* seruando, nam in A uersus prior exit in MUNDITISDISDIGNIS: quem uersum sic fere in septenarii anapaestici formam redigi posse adnotauit Studemundus in scholis: *Ita uíctu excúrato, íta magnís munditiis* ⟨*et*⟩ *dis dígnis,* | *Itaque . . .* uel simili modo.

Rud. 1143 cf. not. 22.

Trin. 651 *Ín foro óperam amicis dá, ne in léctu amicae, ut sólitus és.* DANEINLECTO A, *ha da aut intellectu* B, *hada aut* (*aat* Da) *intellecto* CD, in quibus fortasse latet *da, haut in lectu,* quam tamen lectionem ne uix quidem commendauerim. Cf. de *lectu* O. Brugman in Comment. ed. a societ. phil. Bonn. 1873 pg. 95 sqq.

Truc. II 4, 20 *DI. Lubéns. heia hóc est mélle dulci dúlcius*; ubi *heia hoc est* cum spatio, quo personae nota indicari uidetur, A, *ad hoc est* BD, *adhocest* C, e quibus *ah, hoc est* olim uulgo: sed *heia* sensui optime conuenit, cum saepius eius sit qui dulcedine

quadam delectatus exultat, cf. Rud. 422 *heia, córpus quoiusmodi*, Men. 381 *Heia, déliciás facis*. Cf. sub 'HEIA' **III** B et 'HVI' **VI**.

Ter. Eun. 215 *'et istum aémulúm,* ‖ *Quod póteris, áb ea péllitó.* ‖ *PA. Méminí'*. *pellito.* ‖ *PA. Memini* ADG et Vmpfenbachius, *pellito.*‖ *PA. Au memini* BCEP, nisi quod *PAR. aut* ^{me}*mini* C corr. C²: *péllito. PA. áh* ‖ *Mémini* Bentleius, *péllito. PA. Aú* ‖ *Mémini* Fleckeisenus et Wagnerus. *Au* a uiro pronuntiatum ferri nequit: *ah* sensui non repugnat, sed mihi librorum optimorum fides tantum ualere uidetur, ut ceteros neglegendos esse existimem faciamque cum ADG et Vmpfenbachio, etsi quomodo *au* interiectio falso in BCEP irrepserit non perspicio.

Eun. 221 *PA. Vigilábis lássus: hóc plus fácies. PH. Ábi, nil dicis, Pármenó.* ABIṢỊṢNIKIL teste Studemundo A, *SIS* ab eadem manu inducto: in *B* litterae parte superiore lineola aliqua a correctore recentiore addita est, quam tamen casui deberi (non *ah* significare) constat. *ah nihil* BCDP, (ex *hah* C), *ah nichil* E, *ha nihil* G: mihi ex ipso errore, quo librarius Bembini *sis* addidit, elucere uidetur, *abi* esse scribendum: nam si *ah* scribere uoluisset librarius, quidni, cum *sis* deleret, simul correxisset *abi* in *ah*? accedit quod *abi* sensum idoneum praebet.

Eun. 1017 *ah mentita es* pro *an mentita es* (ita cett., sed desunt BG) unus E.

Heaut. 857 *ah* Bentleius, UAH A cum rell., uide sub 'VAH' not. 6.

Heaut. 913 *Qui sé uidénte amicam pátiatúr suám!* ‖ *ME. Quid ni?* uersus 913 in uno cod. P exit in *suam. MEN. ah*, quod, nisi abesset ab omnibus ceteris libris, non offenderet.

Heaut. 1015 *Mi uir. CH. Cónfitére. SO. Au te óbsecro, istuc inimicis siét. Au* A, *ah* libri ceteri: etsi *ah* non ineptum est, *au* ideo commendatur, quia et A libri auctoritate nititur et a muliere exclamatur et perturbatae maxime conuenit.

Hec. 283 *Cui* libri, *hui* Fleckeisenus, *ah* Bentleius, cf. sub 'HVI' not. 5.

Ad. 327 uersus qui exit in *Vae miserae mihi*, in ^{i}*m ah* desinit in uno cod. F, quae interiectio cum ad huius loci naturam non

quadret, ex uersu 329 extremo huc uidetur falso irrepsisse; adde quod in F (et in E) *ah* in exitu uersus 329 falso omissum est.

Ad. 405 *ah* editores praeter Bentleium plerique: *uah* libri cum A, cf. sub 'VAH' not. 13.

Ad. 724 O̊STULTE A corr. rec., *a*[h] *stulte* C corr. C[2], *ah stulte* BDEFG, cf. sub 'O' not. 53.

Acci Ribb. Tr. pg. 189 u. 410 ⟨*A!*⟩ *qui uos pascet póstea?* edidit Ribbeckius, *a* praeter libros Nonianos exempli causa addito: pro quo quaelibet alia eodem iure addas.

Afranius Ribb. Com. pg. 183 u. 147. 148 *De uita ac mórte dómini fábulábere | Aduórsum frátrem illius ác dominúm suúm.* Pro *ac* in uersu altero Ribbeckius olim scripsit *ah*, quod cum incertissimum esset, ipse abiecit: accedit quod *ah* ubique enuntiatis praecedit, uide **III** A.

Afran. ib. pg. 191 u. 215 . . . . *ah tu éloquéns es: ilicét* edidit Ribbeckius: *ah tu* Neukirchius, sed *an tu* cod. Charisii, unde profectus 'non male', ut ipsi Ribbeckio uidetur, Bergkius symb. I 18 coniecit *ain tu?*

Afran. ib. pg. 192 u. 219. 220 . . . . *át ego séro séntio | Te nón amáre mé cordáte ac sánitér.* Sic nuper edidit Ribbeckius, qui olim pro *at ego sero sentio* ediderat *ah sentio: adesto assentio* W Harl. Par. P, *adesto adsentio* ceteri libri Noniani. Vbi etsi de *ah* interiectione restituenda praeter Ribbeckium non inepte cogitauerunt L. Muellerus et Buechelerus, tamen certo agnosci nequit. Ceterum cf. Ribbeckii apparatum criticum.

Pacuu. Ribb. Tr. pg. 122 u. 353. 354 *ah! | Cepisti me istoc uérbo. miseretúr tui.* Sic edidit Ribbeckius, pro quibus alii alia: *at cepisti*, suprascr. *ac*, W, *ad accepisti* Bamb., *at ac cepisti* ceteri libri. *Attat* libris fere magis commendari quam *ah* cum duce Gulielmio facile intellegas, possis etiam haec fere temptare: *Áttat.* ⟨*út*⟩ *cepisti me istoc uérbo. miseretúr tui.* Nec tamen certi quidquam contenderim; *Atalantae* fabulae nomen in *at* uel *ac* uel *ad* uel *atac* latere suspicatus est Mercerius.

VII. In *ah* particula adhibenda Plautus et Terentius discrepant sic:

a) apud Terentium *ah* interiectio usitatior est quam apud Plautum: illi locis 45, huic locis 27 uindicanda fuit.

b) Terentius *aha* formam rarius quam Plautus adhibuit.

c) apud Plautum *ah* neque interrogationi (**III** A) neque accusatiuo (**III** B) neque uocatiuo (**III** C) usquam praefigitur.

d) apud Terentium *ah* uix rarius in exitu uersus collocatur (locis 21) quam in medio (locis 24): apud Plautum rarius in exitu uersus collocatur (**V** b).

e) apud Terentium *ah* particulam nusquam, apud Plautum ter (**V** d) sequitur hiatus.

– – –

ATTAT et ATTATAE

accedunt *attat attatae* et *attattatae* Naeuiana.

I. De *attat* et *attatae* interiectionum origine Handius Turs. I pg. 451 protulit haec: '*ATAT qui duplicatam particulam* at *esse censent, eique aduersatiuam potestatem tribuunt, simplicem rem mirabiliter perturbant. Interiectio enim est ex graeco usu desumpta. Graeci dicunt ἀτταταὶ, ἀταττὰὶ, ἀτατταταί. quod Naeuius plenum expressit in Tarentilla . . . et in Corollaria*' (uide infra **V**): quae de *attat* recte monita esse uidentur, quoniam *at* particula eodem modo atque inde a poetis Augusto aequalibus in prisca latinitate corripitur: syllaba enim prior ubique producitur, et *attat* rectius quam *atat* scribi libri docent: ac ne altera quidem syllaba uidetur esse corripienda, cf. **IV** C 2; itaque *attat* uix ex duplicato *ăt* originem duxisse uidetur, quod uoluit Scaliger de caus. ling. lat. X 164. Vnum miramur, quod, cum ἀτταταῖ et *attatae*, quod locis quibusdam Plautinis seruandum est, sed Terentio ignotum uidetur esse, syllabam mediam correptam ha-

beant, *attat* uocis syllaba altera producitur; sed cum *attat* prorsus eodem sensu adhibitum sit quo *attatae*, et cum uocabulorum Graecorum in linguam latinam translatorum saepius mutetur prosodia (cf. e. g. *eugae* et εὖγε), nescio an reuera *attăt* a Graecis originem ita duxerit, ut corriperetur aliquo modo uel mutilaretur ex graecanico ἀττᾰταῖ. Ceterum nescio, quo iure Handius laudauerit formam ἀταττaί, quam sic scriptam nusquam inueni, cf. Ellendt lex. Sophocl. sub Ἀτταταῖ (ultimae enim horum uocabulorum syllabae circumflexis notandae sunt, cf. Schinck. de interiectt. epiph. ui atque usu ap. Aristoph. pg. 15).

II. Interiectiones latinas *attat* et *attatae* ut scribamus, librorum optimorum persuadet consensus.

a) Incipiamus a forma usitatissima bisyllaba: Quae cum in codice Ambrosiano Plautino tribus locis extet (Cas. III 4, 28 [514]. III 6, 4 [603]. Pers. 722), ubique scribitur ATTAT; eadem in Bembino Terentiano omnibus sex locis Eun. 228. 727. 756. Phorm. 600. 963. Hec. 449 scribitur ATTAT; in ceteris libris Plautinis (P recentissimum non curo) *atat* scriptum non extat nisi semel [1]) Poen. IV 1, 5 [811] in D (*Atat e fano* pro *Attat, e fano*). In Calliopianis Terentianis *atat* saepius occurrit: in D Andr. 125. Eun. 727. Phorm. 600, et *Attat* Eun. 756, in G Eun. 756, in E Andr. 125. Eun. 228. 727. 756. Phorm. 600. Hec. 449, in P Phorm. 600. Denique in fragmento Accii Ribb. Tr. pg. 154 u. 138 (uide **IV** B 4) libri Noniani exhibent *attat.* Libri igitur, excepto unico codice D Terentiano, commendant *attat:* adde quod interiectionis syllaba prior nullo loco certo corripitur, immo saepius producitur (cf. **IV** C 2); Graeca autem scriptura nihil suppeditat ad Latinam statuendam, cum Romani uocabula Graeca illo tempore non semper accurate reddiderint.

b) Formae trisyllabae *attatae,* qua quinquies utitur Plautus,

1) syllaba prima ubique producitur et in libris ubique

---

1) Aul. III 1, 6 [410] et IV 8, 12 [704] utrum in BD *attat* an *atat* (sic utroque loco edidit Wagnerus) scriptum sit, neque ex Wagneri apparatu critico neque ex Lorenzii programmate discere potui: sed in B utroque loco esse *Attat* me docuit Studemundus.

incohatur ab *atta-* (sic etiam Epid. III 4, 21 [446] in A), nisi quod *atate* Merc. 365 CD (*at tace* B). — Vt igitur *attat*, sic *attatae* scribendum est.

2) syllaba tertia ubique *-te* scripta est, nisi quod unico illo loco, quo haec forma integra est in A, Epid. III 4, 21 [446], in hoc codice optimo scriptum est ATTATAE: itaque cum et codicem A in rebus orthographicis ac praecipue in *e* et *ae* uocalibus distinguendis multo diligentiorem esse constet, et *attatae* magis conueniat ἀτταταῖ Graeco, ubique *attatae*, non *attate* scribendum esse censeo. — Accedit quod in fragmento Naeuiano priore (Ribb. Com. pg. 13, 41) traditum est *attattattat attatae*, in altero (ib. pg. 21, 82) *attattatae*, utrumque in codice Charisii.

III. De *attatae* interiectionis usu Plautino.

Haec interiectio occurrit ad admirationem exprimendam [2]) locis quinque Plautinis his:

Asin. 588 [3]) Tacite aúscultémus. LE. *Áttătaé*: modo hércle in méntem uénit.

Cas. II 8, 32 [364] . . . úxorem! CH. *Áttătaé!* ‖ Nunc pól ego démum in réctam rédii . .

III 1, 14 [424] ALC. *Áttataé!* caedúndus tú homo es: nímias déliciás facís.

Epid. III 4, 21 [446] . . . mércatum. PER. *Áttătaé!* ‖ Nunc démum scío ego . . .

Merc. 365 [4]) . . . uidétur. CH. *Áttătaé,* ‖ Méus patér hic quidémst, quem uídeo.

Locis primo altero quarto ex ipsis uerbis quae descripsi elucet, *attatae* eius esse, cui subito aliquid in mentem ueniat uel clarum fiat, loco ultimo eius est, qui aliquem subito adpropinquare uidet, tertio denique uix aliud quidquam significat nisi admirationem [2]): sane Handius Turs. I pg. 452: *'Admirationem rei,* in-

---

2) Cf. Donatus ad Andr. 125 '*atat* interiectio admirantis', quae tamen ad illum locum, ubi praeualet misericordia, non bene quadrat.

3) *LEON. Tacite auscultemus LIBAN. Attate* . . BD.

4) *at tace* pro *attatae* (*atate* CD) B, sed ad se ipsum *tace* loqui Charinum uix coniecerim. In A nihil ex hoc uersu integrum seruatum est nisi uocabulum primum.

quit, *non, ut uolunt, minationem exprimit in Cas.* 3, 1, 14'. Conf. tamen infra Naeu. Ribb. Com. pg. 13 u. 41 sq.

Non recte *attatae* a Ritschelio insertum est Stich. 594, de quo loco agetur sub 'VAE' not. 15.

IV. De *attat* interiectionis usu.

A. De structura grammaticali nihil memoria dignum est, nisi quod solet *attat* praecedere enuntiatis exclamatiuis (quae supplenda sunt Aul. IV 8, 12 [704] *attat. eccum ipsum* et Curc. 390 *attat. quem quaerebam:* supple utroque loco *adest:* praeterea Ter. Eun. 756 (cf. not. 10); exclamatiuum enuntiatum periit etiam in fragmento Accii Ribb. Tr. pg. 154 u. 138, cf. pg. 443); interrogationibus praecedit, nec tamen ad ipsas interrogationes referendum est *attat* bis Cas. III 4, 28 [514] et III 6, 4 [603].

B. De *attat* particulae notione.

1. *Attat* eius est qui ex improuiso uel subito aliquem uel adesse uel adpropinquare uidet,

a) cuius aduentu gaudet:

Amph. 263 *Áttat*. íllic húc itúrust: íbo ego ílli⟨c⟩ óbuiám.

Aul. IV 5, 5 [657] *Áttát*. foris crépuit: sénex eccum aúrum ecfért forás.

IV 8, 12 [704][5]) *Áttát* eccum ípsum. íbo ut hóc condám domúm.

Cas. III 6, 4 [603] coc. Heia. ol. *Áttat!* césso . . . . ire aduórsum?

Curc. 390 Salútat? *áttat* quém quaerébam: séquere mé.

Poen. IV 1, 5 [811][6]) *Áttát*. e fáno récipere uideó se Sýncerástum.

Truc. II 7, 21[7]) *Áttat* éccam adést propínque: crédo audísse haec mé loquí.

---

5) ad hiatum, quem permisit Wagnerus in caesura semiquinaria, tollendum sex uarias coniecturas edidit Muellerus pros. Pl. pg. 684.

6) *At eccum e fano* pro *Attat e fano* (*Attate fano* B, *Atat e fano* D) mire Geppertus.

7) *Attatecam* BDa, *At tate cã* C, *Attateccam* Dc, *eccum* — errore typogra-

b) cuius de aduentu pertimescit[8]) (ut *attatae* Merc. 365)

Aul. III 1, 6 [410][9]) *Áttat,* périi hercle égo misér: aperitur, bácchanál adést.

Ter. Eun. 756[10]) CH. Viden tu íllum, Tháis, PY. . . . TH. . . . ‖ CH. Mílitém secum ád te quántas cópiás addúceré? ‖ *Áttat.* TH. Núm formídulósus óbsecro és, mi homo?

Phorm. 600 . . . ultérior? *áttat,* Phaédriaé ‖ Pater uénit: séd quid pértimui . . .

Hec. 449[8]) Opórtet. *áttat* éccum Phídippum ét patrém ‖ Video . . .

c) cuius ob aduentum irascitur

Ter. Eun. 228 Sét quis hic ést, qui huc pérgit? *áttat.* hic quidem est párasitús Gnathó.

2. Eius est qui aliquid subito et ex improuiso animaduertit[11])

---

phico — Spengelius, nam aduenit Phronesium. *At* pro *Attat* et *crédo* ⟨*eam*⟩ *audiuísse* (*audiuisse* BCD) pro *crédo audísse* Geppertus.

8) Donatus ad Hec. 449 '*atat* interiectio est conterriti et conturbati'. Cf. not. 10. 'aut metum, ut *attat*' Asper Keil. gramm. suppl. ed. Hagen pg. 61, 17, 'metus, ut *attat*' Petrus ib. pg. 171, 19—20, cf. ib. Sergium pg. 158, 33. — 'pauemus, At at' Scaliger cp. 162.

9) *Attat perii hercle ego misera perit bachanal adest* BD, *Atát, perii hércle egó misér: apéritur bácanál, adést* Wagnerus in 'exegetical commentary' pg. 123, nisi quod necesse erat ob duo uocabula iambica *egó* | *misér* ante diaeresin uix ferenda uersum trochaeis, non iambis dimetiretur. Edidit uersum Wagnerus hunc: 'atát, perii hércle míser egó: ⟨senex⟩ áperit báccanál, adest', sed cf. Seyffert (Studia Plautina, not. 16). Acidalius cum *ah perii Bacchanal adest* corrigeret, formam Plautinam uix restituit. Quid Plautus ipse uoluerit, difficile est dictu.

10) *Attat* hic uix ad ea pertinet quae praecedunt, cum ad *Viden tu íllum* . . (u. 754) non quadret: immo edendum est *'Attat* . ., ut *Núm formídulósus* . . . uerbis Chremes interrumpatur a Thaide. — Ceterum hunc locum indiligenter (etsi uerba grammatici ipsa corrupta sunt) laudat Priscianus III pg. 90, 25 K: 'timoris, ut: *Attat, mi homo, nam formidulosus es?* — Cf. not. 8 et Diomed. I pg. 419, 6—7 K 'aut timentem, ut *ei, attat*'.

11) Donatus ad Eun. 727 '*atat*: interiectio est paulatim percepti atque intellecti mali'. Cf. [Sergii] 'explan. in Donat. lib. II' IV pg. 562, 20—21 K: 'aut animaduertimus, ut *attat*'; Diomed. ib. I 419, 11: 'aut ex improuiso aliquid deprehendentem, ut *attat*'; Max. Victorin. ib. VI pg. 202, 3—4 'alia (scil. a d u e r b i a) animaduertentis, ut *attat*', idemque alio, ut uidetur, fonte usus pg. 204, 23 'aut animaduertentis (scil. est i n t e r i e c t i o) ut *attat*'.

(ut *attatae* Cas. II 8, 32 [364] sed accedente gaudio, et Epid. III 4, 21 [446])

a) cum dolore

Capt. 1007 *Áttat*, scío quor té patrem ésse adsímules ét me fíliúm.

Curc. 583 *Áttat*, Cúrculio hércle uérba míhi dedít, quom cógitó.

b) cum misericordia

Ter. Andr. 125 (cf. not. 2 et 13) Percússit ílico ánimum. *attát* hoc íllud ést, ‖ Hinc íllae lácrimae.

Pacuu. Ribb. Tr. pg. 122 u. 353. 354 [12]) *Áttat*, ⟨út⟩ cepísti me ístoc uérbo, míseretúr tuí.

c) cum timore (cf. not. 10)

Ter. Phorm. 963 [13]) Vlcísci. PH. *Áttat*, nísi mi próspicio, haéreo.

d) Ebrii est, qui temulentum se esse incipit sentire

Ter. Eun. 727 [11]) CH. *Attát*, data hércle uérba míhi sunt: uícit uínum quód bibí.

3. Eius est cui aliquid ex memoria elapsum in mentem recurrit (ut *attatae* Asin. 588)

Pers. 722 DOR. *Attát*, oblítus sum íntus dúdum díceré . . .

4. Clamore uel sonitu subito perterriti est

Cas. III 4, 28 [514] ‖ *Attát!* ‖ Quid istúc clamóris óbsecro ín

---

12) Vide sub 'AH et AHA' **VI.**

13) Hiatum inter *Vlcisci* et *Attat* in ea uersus sede admissum, ubi nouae personae uerba incipiunt, Bentleius ita euitare studuit, ut *atattat* reponeret pro *attat*. Sed fallitur Bentleius, cum ad Andr. I 1, 98 [125] adnotet 'Ergo *Atat* pro poetae libitu uariat suum tonum; nunc *áttat*, nunc *atáttat*, nunc *átat*': nam, etsi *atat* scriptura librariis non raro excidit (cf. supra **II** a), *atattat* nusquam inuenimus exaratum. Quomodo tollendus sit hiatus, nescio: noli enim audire Carolum Conradt 'de uersuum Terentianorum structura' (Berol. 1870) pg. 35, quo auctore uersus '*hiatu liberatur, si accentus aliter disponimus:*

Vlcisci. Attát nisi mi prospicio haereo':

qui cum accentus praeter unum praetermiserit, dimensus uidetur esse: *Vlcísci. Attát nisí,* qua mensura deprauatur numerorum elegantia.

nostrást domó? et, ut uidetur, Acc. Ribb. Tr. pg. 154 u. 138.

Attát[14]), nisi mé fallít in obitú | Sonitús —

5. Nihil nisi stupentis admirationem (cf. not. 2) significat (ut *attatae* Cas. III 1, 14 [424])

Capt. 664[15]) ME. *A⟨ttá⟩t,* ut cónfidénter mihi contra ástitít.

C. De *attat* interiectionis prosodia et collocatione metrica.

1. Syllaba prior *at-* ubicumque ictum fert producitur[16]), i. e. ubi aut trochaei (Amph. 263. Capt. 1007. Curc. 583. Truc. II 7, 21, Ter. Eun. 228. 756, Pacuu.) aut iambi (Cas. III 6, 4 [603] Curc. 390, Ter. Phorm. 600. 963 [sed cf. not. 13]. Hec. 449) thesin efficit: sed eis quoque locis, quibus in arsi est, (cf. not. 16) producendam esse syllabam (cf. Muellerum pros. Pl. pg. 58) uerisimile est ob scripturam *attat* libris commendatam (**II** a).

2. Syllaba altera *-tat* ubicumque ictum fert producitur[16]): siue uocales secuntur (aut *h*): Aul. IV 8, 12 [704] *Attát, eccum ípsum . . .,* Capt. 664 HE. *Attát, ut cónfidénter . . .,* Pers. 722 DOR. *Attát, oblítus . . .,* Poen. IV 1, 5 [811] *Attát, e fáno . . .,* Ter. Andr. 125 ⏑–́⏑–́⏑–́*mum: attát hoc íllud ést.*

siue consonae: Aul. III 1, 6 [410]. IV 5, 5 [657], Ter. Eun. 727. Phorm. 963 (sed cf. not. 13), Acc. Ribb. Tr. pg. 154 u. 138.

3. *Attat* saepius in capite uersus est quam in medio uersu.

4. *Attat* extra uersum semel positum est:

Cas. III 4, 28 [514] *Quoi síc*[17]) *amánti mihi óbuiam éueniúnt moraé?*
Attát!
Quid illúc clamóris ópsecro ín nostrást domó?

ita diuisis uersibus A, neque proximo senario adaptari potest

---

14) *attat* libri Noniani, *aduentat* coniecit Buecheler, ut senarii iaceret fundamenta.

15) *Attat ut* Brixius (idem *at út* ⟨*scelus*⟩ *cónfidénter* in adnot.), *atat ut* Fleckeisenus, *At ut* B, *at* ⟨*ecce*⟩ *ut* Geppertus; alia Muellerus pros. Pl. pg. 58: *Satin út* ⟨*homo*⟩ *cónfidénter* uel ⟨*Vide*⟩ *ut cónfidénter* ⟨*séruos*⟩ uel ⟨*Hoc sis uide*⟩, *ut cónfidénter.*

16) nam ubi ictum non fert, utrum syllaba producta sit an correpta, cognosci nequit.

17) *tot* addit B, qui praeterea *eueniant* exhibet.

attat in B, ubi uerba inde ab *Attat* usque ad *obsecro in nostra domo est* eodem uersu comprehenduntur. Ceterum fugit hic locus Hirthium.

D. Quod *attat* et *attatae* nullo loco a muliere exclamata occurrunt, casui tribuerim.

E. Loci, quibus *attat* male uel incertius scribitur, hi sunt:

Pers. 829 uide sub 'EHO' **VI.**

Poen. III 2, 32 [600] uide sub 'ST' B.

Ter. Andr. 754 uide sub 'HAHAHAE'. *Attate* Bentleianum ideo hic parum placet, quia *attat* et *attatae* semper ab eis exclamantur, quibus praeter opinionem aliquis uel aliquid occurrit uel in mentem uenit, hic autem adfectu simulato exclamandum esset *attatae*. Nullum hic ridendo locum esse, "si modo bene suas partes agat Dauus", Bentleio non concesserim.

Pacuu. Ribb. Tr. pg. 122 u. 353 uide sub 'AH et AHA' **VI.**

V. Formae longiores occurrunt in duobus fragmentis Naeuianis

Ribb. Com. pg. 13 u. 41, 42 *A. Riuális, sálve. B. quid 'salue'? áttat áttataé!*
A. Quid istúd uero ⟨'áttat'⟩ te ád-uertísti tám citó?

pro quibus cum haec sint in cod. Charisii: *quid salue attattattat attatae riualis salue quid istud uero te aduertisti tam cito*, Ribbeckius locum desperatum liberius ita transformauit, ut supra descripsi, nisi quod pro *attat* in uersu altero inseruit *ătătae*. Sed primum nulla in altero senario interiectio tradita est, deinde *áta|tae* mensura, qua *áta-* syllabis iambi thesin effici uult Ribbeckius, ferri nequit ob ea quae de primae harum interiectionum syllabae scriptura disputauimus pg. 408 sq., de prosodia **IV** C 1. Aliter hunc locum constituit Bentleius ad Ter. Andr. I 1, 98. Multae patent emendandi uiae, cum neque quomodo uerba inter colloquentes distribuenda sint constet neque *uero* et *te* uocabula in uersu altero omni exempta sint dubitatione. Itaque hunc locum peritioribus relinquo persanandum.

Ribb. Com. pg. 21 u. 82:

. . . *attáttatae! caue ⟨né⟩ cadas am⟨á⟩bo.*

AV

(Handius Tursell. I pg. 524. 525.)

I. *Au* interiectionis usum qui eruere ex priscis scriptoribus conetur, ei non a Plauto sed a Terentio proficiscendum esse numerorum docet ratio; cuius in fabulis cum octo locis *au* certo tradita sit, apud Plautum in libris non est nisi bis. Quodsi unum Donatum Terentii commentatorem exceperis, grammatici nihil fere de hac interiectione adnotauerunt, quod memoria dignum esset, nisi quod Priscianus III pg. 91, 3 sqq. K 'inter has [scil. interiectiones] ponunt etiam sonituum illiteratorum imitationes, ut risus *há ha hae* et *phy* et *euhoe* et *au*'.

II. *Au* apud Terentium recte traditum est locis octo his:

Eun. 656 DO. *Au* óbsecró, mea Pýthiás, quid ístuc nám monstrí fuít?	*Au* libri cum A
Phorm. 754 CH. Quid? duásne uxóres hábet? SO. *Au* óbsecro, únam illé quidem hanc sólam.	*Au* libri cum A
Phorm. 803 NA. *Au* óbsecró, uide ne ín cognátam pécces. DE. Nón est. CH. Né negá.	*Au* libri cum A (sed deest G), nisi quod om. E
Eun. 899 Dabit híc pugnam áliquam dénuo. TH. *Aú,* tace, óbsecró. | PY. Parúm . . .	*Au* libri [1]) cum A, sed deest G
Heaut. 1015 Mí uir. CH. Cónfitére. SO. *Au* te óbsecro, ístuc ínimicís siét.	*Au* A, *ah* libri celeri
Andr. 751 DA. Dictúra es quód rogo? MY. *Aú.* DA. Concéde ad déxterám. | MY. Delíras: nón tute ípse?	*Au* libri, desunt tamen AF
Eun. 680 . . . . PH. Námque alium hábui néminem. PY. *Aú,* | Nec cómparándus híc quidem ad íllumst:	*Au* libri cum A

---

1) '*Ex Terent. Eun.* 5, 2, 60 *lexicorum auctores* [Forcellinium in his sine dubio intellegit Handius] *afferunt* ahahe, tace, obsecro, *uel* ahu. *Sed antiqui libri et Donati testimonium confirmant, scriptum fuisse* au, tace' Hand. Tursell. I pg. 218. — De Donato uid. not. 6.

Ad. 336 (GE.) Patiámurne án narrémus quoi- piam? CA. *Aú, au,* mí homo, sánusne és?	*Au au* GBFP, *au* [2a]) ADCE

Quibus locis omnibus *au* certum est in libris excepto unico Heaut. 1015: sed cum hic *au obsecro* eodem modo coniungantur, quo locis quattuor proximis, et *au*, cum alibi ubique tum in hoc uersu a muliere (Sostrata) pronuntietur, neque minus sensui conueniat, hoc quoque exemplum in certis numerabo.

Hiatus inter *au* et *obsecro* intercedit ter (Phorm. 754 [2b]). 803. Eun. 656) uel quater (cf. quae de Heaut. 1015 diximus pg. 417 not. 5); *Aú, au* spondeum efficit Ad. 336.

Au particula quid sibi uelit, optime ab Handio explanatum est, qui '*Vtitur*, inquit, *ea qui admiratur, quomodo aliquid, quod nimium aut non probabile, nec credibile, nec optabile uidetur, dici aut fieri possit, admixta saepe indignatione in re praeter opinionem existente*', nisi quod *au* solis mulieribus conuenire Handium fugit. *Au* igitur stupentis et perculsae ('percellimur, Au' Scaliger ep. 162) est, non modo re quadam insperata et inexpectata sed etiam incredibili ac rationi repugnante: uelut Andr. 751 [3]) Mysidi ea, quae Dauus, Ad. 336 Cantharae ea, quae Geta interrogat, fere insana uidentur; itidem, quoniam non in-

---

2a) *Au au* cum altero loco nullo duplicatum inueniatur paullum mouet suspicionis; atque Donatus quoque adnotat '*au mi homo sanusne es* hoc ex persona nutricis legendum est. illa enim dissimulandam rem putat', -recte, nam in codd. CE falso haec tribuuntur Sostratae, quae si haec exclamaret, nugas eloqueretur uu. 342. 43. — Attamen *au au* ferendum esse uidetur, nam uix praestat *au tu* pro *au au* uel simile quidquam.

2b) Calliopiani (non A) *is* addunt post *duasne*, unde grauiorem latere corruptelam subnascitur suspicio; uerborum collocationem turbatam praebet P.

3) Recte Handius Tursell. I pg. 525 'in Andr. IV 4, 12 non opus est intellegamus Mysin a Dauo manu arreptam esse, sed illa recedit uerbis strenue pronuntiatis *dictura es quod rogo* et admiratur Daui impudentiam', cui interpretationi magis quam Perletianae 'au *interiectio est ictu aliquo uel pulsu afflicti hominis*' et Klotzianae '*Davus scheint Mysis unsanft berührt zu haben, um zu bewerkstelligen, dass sie auf die rechte Seite herübertrete*' fauet Donatus '*hau* (falso pro *au*) interiectio consternatae mulieris'. *au* interiectio est irascentis' Eugraphius minus recte, cum non praeualeat ira sed stupor.

telleguntur, cum miratione percipiuntur et ea quae fiunt Eun. 656. 680[4]) et ea quae uerbis exprimuntur Phorm. 754. 803; denique Heaut. 1015 quoque Sostrata cum non intellegat, quid confiteri se iubeat Chremes, respondet *Au, te óbsecro*[5]), *istuc* (i. e. quod tu dicis confitendum esse) *inimicis siét.* — Ab his exemplis aliquo spatio distat *au* Eun. 899[6]): sed cum locis nonnullis ad *au* accedere refutandi[7]) notionem Handius perspexerit (cf. Eun. 680. Heaut. 1015. Phorm. 754. 803. Ad. 336), et *obsecro* (propter senarii iambici extremi leges *tace* imperatiuo seiunctum) proxime sequatur, hoc loco renuentis magis esse *au* quam mirantis arbitror. Quamquam nisi *au* certo tradita esset, aptior uideretur interiectio uelut *ah*.

Donati adnotatio '*au* interiectio est conturbatae mulieris' ad Andr. 781 adscripta loco illi, ubi de *eho*, non de *au* agitur, uix conuenit, sed fortasse e uersu 751 (uide not. 3) huc delapsa est.

Falso apud Terentium *au* scriptum est locis quattuor his:

[Andr. 748 uide sub 'EHO' nota 18.]

[Andr. 781 uide sub 'EHO' nota 13.]

Eun. 216 *Au memini* Parmenoni, i. e. uiro, non mulieri, uindicatur in BEP, *aut* *memini* C, corr. C²: *au* omittitur in ADG (deest F), quos libros melioris notae sequimur, cum *au* nullo modo ferri possit. *Ah memini* Bentleius.

Eun. 758 *Átque ita opúst. CHR. Ah métuo, quálem tú me esse hóminem existumés.*

Ah metuo AD, *Au metuo* ceteri omnes, quod, cum *au* a uiris non pronuntietur, ferri nequit.

---

4) '*au* interiectio est conturbatae feminae nec constantis sibi' recte Donatus.

5) *obsecro te* libri cum A, *te obsecro* metri gratia editores; neque aliter stabit uersus, nisi admisso hiatu *te* deleueris. Sane in libros Calliopianos irrepsit *nostris* glossema ad *inimicis* referendum.

6) Nam quae Donatus adscripsit '*au* interiectio est perturbatae mulieris, ut apud Graecos ἰού', ea potius ad *au*, ut uulgo, quam ut hoc loco adhibitum est, pertinere mihi uidentur.

7) Gronouius ad Plauti Cas. IV 3, 4: '*Nam* au, inquit, *particula interponitur, cum aliquid dicitur quod dici nolimus*', quae tamen explicatio parum sufficit ad omnes locos, quibus *au* occurrit, recte interpretandos.

III. Ex fragmentis scaenicis accedunt duo Afranii, in quibus *au* certo traditum est: Ribb. com. pg. 177 u. 97. 98: '*au, quid me cénses, óbsecró?* | *Nón audisti?*, et ib. pg. 178 u. 103 *Au mi homo! immo édepol uós suprémum méum concélebretis diém.*

Hic quoque a mulieribus pronuntiatum fuisse *au* ueri est simillimum: sensus particulae in priore fragmento idem est atque e. g. Ter. Ad. 336, nam possit his quoque uerbis optime addi *sanusne es?* — Alteri fragmento, in quo quid sibi uelit *au* etsi non satis liquet, *immo* uocabulo docemur uerba quaedam praecessisse, quibus ea quae *au* exclamet cum improbatione obstupescat, itaque hic quoque locus quadrat ad nonnullos Terentianos, ueluti ad Phorm. 754.

IV. Apud Plautum *au* libris manu exaratis non commendatur nisi locis duobus, quorum uno sine dubio seruandum, altero corrigendum est:

Atque Stich. 259 quidem . . . . . *uéndidi datárium.* CROC. *Aú,* | *Nullán tibi línguast?*, ubi *AUNULLAM* initio uersus A, *Au nulla* BCD, uix casu factum est, ut, eodem modo atque ubique apud Terentium, *au* a muliere exclamaretur.

Curc. 512 *LY. Tacuisse mallem. CA. au male meditate maledicax es* B et uulgata, nisi quod ad delendum hiatum *mauellem* restituerunt. Scaliger autem, cui *au* interiectio, quae contra usum illum, de quo supra dixi, uiro tribuitur, suspecta uidebatur, *haud male* correxit, idque *(Hau male)* recte recepit Fleckeisenus. Nam neque congruit huius loci natura aut cum locis illis Terentianis, quibus *au* particulam uindicandam esse demonstrauimus, neque cum Stich. 259, et uerba *male meditate male dicax es* ideo ferri nequeunt, quia non male meditatum se esse Curculio modo ostendit: sed optime a Cappadoce inter se opponuntur *male meditate* et *male dicax*, ut bene (i. e. hau male) meditatum esse Curculionem concedat, sed male dicacem esse eundem arguat.

Locis Plautinis reliquis omnibus *au* uirorum doctorum coniecturis debetur, nec tamen probabiliter poetae Sarsinati uindicata est, si a duobus recesseris, quorum alter legitur:

Cist. III 15 *ME. Haud uoluisti istunc seuerum facere. AL. ni-*

hil mecum tibi B, *ME. Haú! uoluísti istúc seuérum fácere? AL. Níhil mecúm tibí* uulgo. *Haud* uel *hau* negatio hoc loco ferri nequit, cum Melaenidis uerba interrogantis sint neque interrogatiua particula sit *haud;* immo agi hic de *au* interiectione a muliere eodem fere sensu exclamata quo Stich. 259, iam recte cognouerunt editores (*Istunc* pro *istuc* in B calami lapsu effectum est).

alter, qui minus confidenter restitui potest:

Men. 533 *Numquam hercle factum est. ANC. non meministi obsecro* BCD. Ad explendum senarium ⟨*án*⟩*non* post Lambinum scripsit Bothius, ⟨*aú!*⟩ *non* Acidalius, ⟨*te*⟩ *óbsecró* Ritschelius. *Au* interiectio a muliere exclamata sententiarum nexui non repugnat, cum praesertim in extremo uersu iambico *obsecro* sequatur.

Pergo ad locos desperatos uel falso coniecturis temptatos:

Mil. gl. 217 Hoc loco corruptissimo, qui uariis modis a uiris doctis temptatus est (*anheriatus uestis heus te adloqui palestrio* BCD, *an, heúreta, me haúscis te ádloqui? Palaéstrio* edidit Ritschelius), *au* interiectionem uiro (Periplecomeno) tribuere ausi sunt Lipsius et Taubmannus, sed ne sententiarum quidem nexui conuenit *au.* Cf. praeterea sub 'EHO' **VI.**

Mil. gl. 1358 *Heí mihi, quóm uenít mi in méntem, ut móres mútandí siént. haeum* (pro *Hei mihi*) BCD, *hau mihi* editores nonnulli ueteres, qui utrum *hau* interiectione idem atque *au* significari opinati sint necne nescio. *Hei mihi* debetur Bothio: sed cum *hei* in libris melioribus BCD pro *ei* scriptum nusquam inueniatur, *uae mihi* emendaui, uide sub 'VAE' adnot. 7.

Stich. 243 *CROC. Au rísi te hódie múltum. GEL. Quándo aut quo ín locó? Au risi* Ritschelius, EUECASTORRISI A, *Eue castor risi* B, *eu ecastor ri*[si] Db (*ri* Da), *ey ecastor risi* C. Si quis sententiarum nexum diligenter perspexerit et *eu ecastor* uerba quam difficile in libros irrepere potuerint reputauerit, duo uersus hic in unum coaluisse ei uidebuntur; ac memini Studemundum in scholis ludibunde olim conicere aut similia aut haec fere Plautina fuisse:

Eu ecástor, ⟨sémper míhi quidém tu Gélasimú's,
Nam⟩ rísi te hódie múltum. GEL. Quándo et . . etqs.

Trin. 495[8]) *Mirúm qui[n] tu íllo técum díuitiás ferás.*
Mirum quin tu scripsit Ritschelius, ante *Mirum* in ABCD additum est *An*, unde profectus Pareus scribendum esse coniecit *Au, Mirum*: 'cui interiectioni hic uix locus est' recte adnotat Ritschelius, idemque praef. ad Trin. edit. II pg. LXVI recte 'pro *au*, inquit, interiectione, quam ex librorum memoria *an* Pareus efficiebat, *ah* potius commendat Lorentius Philologi t. XXX (a. 1870) pg. 430. Mihi ab omni tenore horum sermonum ipsiusque Stasimi sensu quaeuis exclamatio aliena uisa est.' Accedit quod *au* neque uiro tribui potest — quod recte monet Hirthius — neque metro aliter potest adaptari nisi ita, ut extra uersum ponatur.

V. De *au* igitur interiectione quae obseruentur dignissima sunt haec:

a) scribendum est *au* locis octo Terentianis, duobus uel tribus Plautinis, duobus Afranianis.
b) *au* non exclamatur nisi a mulieribus.
c) *au* particulae notio explanata est sub **II.**

8) cf. Hirth. pg. 9—10 (Trin. II 4. 93, i. e. 495).

Typis Breitkopfii & Haertelii Lipsiensium.